



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

De experimentis quibusdam lampadis. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

7
 Maximus ille Cato, hominum summus in omni vfu, omniumque bonarum artium magister, ex Plinij traditione, in suis de Agricultura libris quibusdam excantationibus ad ischiadū dolores vtitur. Inquiens: Luxum si quod est, vt excantes, hac cantione sanum fiet, harundinem prede tibi viridem, pedes quatuor aut quinque longam, mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices: incipe cantare in alio, S. F. motas v̄ta daries dardaries astataries dissunapiter, vsque dum coerant, ferrum in super iactato; vbi coierint, & altera alteram tetigerit, id manu prede dextra, sinistra præcede, ad luxum aut fracturam illiga, & sanum fiet. Vide hominem tam dignum, tamq; doctum, in quas insanias prorupit: nec multiplici sua doctrina cognouit, quod sine vi verborum suorum, virides harundines per longum scissæ ex se incuruantur, & cocunt, si pendulæ steterint, vt virgæ quoque salicis, & rubi faciunt. Rationem incuruationis reddit Theophrastus in suis de causis plantarum libris. Præterea apud Dioscoridem legitur harundinem cum aceto Ischiadibus applicatam, luxum sanare lumborum, quum & sine verbis, & superstitione operetur.

De experimentis quibusdam lampadis.

C A P. IX.

NON parum gauisus sum, quum inter antiquos compererim Anaxilam philosophum ludere solitum ellychnijs, & præstigijs monstrifica hominum capita demonstrasse, si Plinianæ assertioni credendum, accipiendo equarum virus à coitu, nouisque lampadibus, & lychnis accensum, hominum capita equina visui monstrifice repræsentare, & alia, quæ quia non credimus, ideo nec experiri curauimus, quæ autem vera sunt, cape.

Vt homines Æthiopes videantur.

Atramentū, sed melius è sepis immissum, lucernis immisce, & atra lucet flamma. Id Anaxilam fecisse fertur, sepe enim ex atramento sepis astantes Æthiopes reddebat.

debat, & nigros. Ex Simeone Sethi. Si quis thryallida, id est lucernæ stupam in sepia atramento, & æris ærugine intinxerit, homines circumstantes videri partim æreos, partim nigros propter mistarum rerum insperionem. Idq; omni colore imitari poterimus: nam luces omnes amonendo, ne alio lumine impediatur, videaturque è lampade color emanans, & frustretur illusio, & si in die fuerit, claudantur fenestræ, ne aliquod lumen irrum-pens præstigium destruat. Sit viridis lampas, vitrea & pellucida, vt pertranscuntes radij medij colore infician-tur (quod in hoc plurimum conducit) oleo, vel omni, quo viuit humido, immisceatur ærugo, vna rite teran-tur, vt humor fiat viridis: ellychnium ex linteo coloris eiusdem, vel è gossipio paretur, vncto, lampade in illa peruratur, oppositum feriens lumen, viridi omne, & intuentium vultus ostendet. Vt

Facies insignis videatur maciei & palloris.

Sic faciler opus exequeris. Vitreo ampli oris cratere, vetus valde infundas vinum, vel græcum, intus sal inije-ce, quantum pugno quis capere possit: flagrantibus im-pone carbonibus sine flamma, ne vas rumpat: illico e-bullire incipit, candelam admoue, & succendetur: re-liqua tunc extingues lumina, & tales astantium facies reddet, vt sibi mutuo terrorem incutiant. Idem in fuci-nis euenit, vbi campanæ constantur, & metallica: tam enim opertum omne diro visitur colore, vt demirari contingat, labia squallore perfusa, punicea, in liuidum, & nigrum commeantia. Accensum quoque sulphur a-stantium medio collocetur, & fortius operabitur idem. Sic quoque Anaxilaum Philosophum ludere solitum esse comperimus. Sulphur enim calici nouo immissum, carbonibus subditis circumferens, conuiuis exarde-scentis repercussu, pallorem dirum effundebat. Id mihi sæpe casu accidit, dum Neapolitano in agro Leuco-gæis collibus noctu deambularem: nam
sponte ardens sulphur tales da-
bat vultus,